



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas

Reding, Augustin

[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.

§. IV. Corollarium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38717

niens ad Apostolorum limina Romam oratum, interpellavit nos, quod iura sui Archiepiscopatus, quae ab antiquis temporibus per decreta sanctorum Pontificum sanctae Romanae Matris Ecclesiae suis praedecessoribus concessa, & confirmata fuerunt, à vestro Archiepiscopo sublata videntur, &c.

Sed, ut redeamus ad Metropolitanum Rhemensem. (Divina enim providentia illos ipsos, qui sanctae Sedis auctoritatem ægré ferunt, aut latari sunt, ad illam confugere non raro compellit, ut quam sponte agnoscere reculant, vel inviti fateantur.) Hincmarus, qui contra sanctam Sedem tam frequenter recalcitraturus erat, non aliter suam dignitatem securè possidere potuit, quam obtentâ Romani Pontificis confirmatione: & ne causari possent, adhibitam à se hanc cautelam ex prudentia ob privatam necessitatem; eâ occasione Summi Pontificis potestatem professi sunt omnes Episcopi Gallicani, ut perhibent acta secundi Concilii Suesonensis anni 853. parte tertiâ his verbis; Porrexerunt etiam (Hincmarus) epistolam totius Galliae Episcoporum manibus subscriptam ad Apostolicam Sedem pro confirmatione ipsius ordinationis.

S. IV.

Corollarium.

De imaginario molimine præficiendi Ecclesiae Gallicanae Patriarcham.

Non abs re fore arbitrabar, hic ob oculos ponere, quæ hanc in rem disseruit Author sepe citati tractatus de Ecclesia Gallicanae libertatibus lib. 8. cap. 4. Editis in lucem, inquit, duobus voluminibus Petri Puteani de Libertatibus Ecclesiae Gallicanae, suspicatus quidam ob doctrinam in illis contentam, & ob alia indicia consilium esse creandi Patriarchæ in Gallia, epistolam Paræneticam scripsit sub nomine Optati Galli ad omnes Episcopos illius Regni, ut huic molimini sese maturè opponerent. Exagitata est illa suspicio cum ab Isaacio Haberto Theologo Parisiensi, ac postea Episcopo Vabrensi, opusculo quodam stylo oratorio conscripto, tum ab Illustrissimo Petro de Marca libris de Concordia Sacerdotij & Imperij compositis. In sedit nihilominus plurium animis concepta de affectato Patriarchatu opinio, quam fovent subobscuri quondam tumores. Vanæ quidem sunt eâ de re minæ, ac in flectendis ad præmittendum officium animis sapientum, quorum interest, minus idoneæ: quia tamen simpliciores hinc commoveri videntur, propius ad idealem illum Patriarcham admovenda est consideratio.

ILLATIO I.

Quibus ex talis Patriarchæ creatione aliquod inferri posset præiudicium?

Hoc præfatus Author à n. 2. ita prosequitur disquirendo; Cui metuendum esset ab illa

imaginario Patriarcha? Certè non Summo Pontifici, cuius auctoritas, cum Christum ipsum habeat authorem, nullis humanis machinationibus imminui potest ab ijs, qui in Religione Christiana perseverare statuerunt: Præsertim, inquit Nicolaus I. episc. 8. quæ est ad Michaelem Imperatorem, cum Ecclesia Romana privilegia, Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, & à sanctis universalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari; quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus. Et quod Deus statuit, firmum, validumque consistit. Illeque potissimum peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat. Privilegia, inquam, illius Sedis, vel Ecclesiae perpetuâ sunt Divinitus radicata, atque plantata sunt. Impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, evelli non possunt. Inlinuaverat eidem Pontifici Hermintrudis Regina Franciæ, Carolum Caivm Regem Sedis Apostolicæ iura impetratum, nisi quod optabat, à Papa conquireretur, aucturum verò, si compos fieret; sed intrepidè respondit Nicolaus ep. 11. 36. Quod autem scripsistis, quia si exaudiamus filium nostrum, non detrimentum, sed augmentum Ecclesiae nostræ privilegia generetur. Nos certissime credimus, quia privilegia sanctae Romanae Ecclesiae nullum possunt sustinere detrimentum, nec plantatio, quam Caelstis Pater noster plantavit, eradicari, nec fundamenta, quæ Summus posuit Architectus, queunt quibuslibet, & quantislibet fluctuationibus amoveri. Epistolâ etiam 24. iuxta aliam epistolam Gelasij ad Orientales; Privilegia sua, inquit, à Christo Ecclesia Romana per Petrum consecuta est.

Verisimilior esset timendi ratio Episcopis 60. ipsis Gallicanis, si, quando in Principem æquitatis & religionis minus amantem, ac in Archiepiscopum urbis Regiæ ambitiosum, & Regis studio, atque auctoritate fultum inciderent, ne, instituto Patriarchatu, libertate Canonica, & magnâ propriæ dignitatis parte privarentur. Unde enim orta est Episcoporum Metropolitanorum, Exarchorum, ac denique Patriarcharum Orientalium depressio, nisi ab Episcopis Constantinopolitanis ambitionis alio percitis, & Imperatorum potentia armatis? A quibus etiam deinde totus Oriens in schisma, & demum in hæresim attractus est, homines scilicet carnales, dignitates Ecclesiasticas ex urbium amplitudine, ac Principum illie comorantium maiestate, non ex Apostolorum, vel Ecclesiae primariâ dispositione metientes, putarunt, sicut civitates Regiæ cæteris præminent, ita qui in eis sedent Præsules, Coepiscopis posse dominari. Quâ in re ipsimet Coepiscopi eorum apud Principem gratiam modò metuentes, modò implorantes, propriæ servitutis colla partim spontè, partim inviti submiserunt.



ILLATIO II.

A quo creandus esset ejusmodi Patriarcha?

61. **A**uthor præallegatus à n. 4. pergit hoc discutere sub hisce interrogationibus; *A quo igitur is Patriarcha suam acciperet dignitatem, & auctoritatem? Num à Christo? A Summo Pontifice? A Rege? Ab Episcopis ipsis Gallicanis? Non à Christo: quis enim ita desipiat, ut arbitretur, dignitatem Ecclesiasticam in Evangelio per septendecim sæcula non detectam, ab Apostolis, ipso jubente, non collatam, ab ipso rursus de caelo descendente fore retribuendam? Fidem non inveniret hujusmodi constitutio extraordinaria sine plurimorum miraculorum confirmatione.*

62. Christiani sunt & Catholici, qui Regnum Franciæ incolunt, atque adeo verendum non est, ne Patriarchalis dignitatis cum auctoritate spiritali creandæ jus Regi ascribant. Illam sine auctoritate Romani Pontificis institui, aut alicui Ecclesiæ imperitari non posse, quantumvis intercedat Principum sæcularium voluntas, docet S. Leo epist. 44. quæ est ad Marcianum Augustum cap. 3. occasione Anatolij Episcopi Constantinopolitani, dignitatem Patriarchalem ambientis; *Habet, inquit, sicut optamus, Constantinopolitana civitas suam gloriam, & protegente dextera Dei, diuturno clementia vestra fruatur imperio. Alia tamen est ratio rerum secularium, alia Divinarum; nec præter illam Petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit illa constructio. Idem etiam scribit Nicolaus I. respondens ad consulta Bulgarorum cap. 73. verbis infra referendis. Imò Concilium Chalcedonenſe dignitatem, quæ ex assensu Imperatoris Episcoporum Constantinopolitanum auxerat, stare sine Romani Pontificis auctoritate non posse, sensit; ut in ejus Synodica ad S. Leonem videre est. Certò si Principes non possunt Metropolitanam Ecclesiasticam facere, quæ poterunt Sedem Patriarchalem constituit? Aut quam habeat jurisdictionem spirituales Patriarcha hoc modo creatus?*

63. A Summo quidem Pontifice posset quis ad Patriarchalem dignitatem provehi; sed tunc Patriarcha non minus, imò magis subiectus esset sanctæ Sedi. Vocaretur enim in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, ipsaque sollicitudinis participatione ad arctiorem cum supremo Ecclesiæ Capite conjunctionem adstringeretur. Verùm exemplis Constantinopolitanorum, & aliorum Episcoporum edocti Pontifices, quam difficile sit, ut ambitio adeptis tranquillè fruatur, & ulteriora, etiam vetita, non appetat, vix ad indulgendam illam exaltationem inducerentur.

•••••

ILLATIO III.

An possent Episcopi, Curia Regia id forte optantis favorem aucupantes, vel indignationem metuentes, sibi met Caput unum imponere, ac suam in id potestatem conferre?

Pergit ille Author à n. 7. hunc in modum differere. Certè, si juxta vulgatam juris regulam, *nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse habeat*, ff. De jur. l. 54. non eximeret Episcoporum consensus Patriarcham à Summi Pontificis auctoritate, cui nihilominus subjacerent ipsi, nec profusus successores suos ligarent. Etenim, si, ut communiter docent Juris Canonici periti, Episcopus sine Summi Pontificis licentiâ Ecclesiæ suæ servitutem nequit imponere, & quæ circa hujusmodi sunt, suos tantum tenent Auctores; non magis ad successores transfret Patriarchæ ab ipsis constituti, quam Vicarij ab ipsis nominati potestas.


Accedit, quòd Summi Pontificis est, omnium Ecclesiarum jura defendere, sedulamque operam dare, ne vel ab ipsis Prælatibus lædantur. Atqui Gallicanæ Ecclesiæ maxima ex creato Patriarcha detrimenta paterentur. Plurimum enim eorum immineretur libertas, si Episcopis omnibus novus Superiorem præferretur. Metropolitanorum dignitas obscuraretur, ac ferè deperiret, si vigeret Patriarchalis.

Denique non potest major dignitas à minore constitui, Patriarchalis à Metropolitanica, vel ab Episcopali, ut monet Nicolaus I. in respons. ad cons. Bulg. c. 73. his verbis: *A quo autem sit Patriarcha ordinandus, interrogatis: Et idcirco sitote, quia in locis, ubi nunquam Patriarcha, vel Archiepiscopus institutus est à majori est penitus institutus: quoniam secus dicitur apostolum, minus à majore benedicitur. Deinde, verò licentiâ acceptâ & palij ordinant ipse sibi deinceps Episcopos, qui Successorem valeant ordinare. Vos autem sive Patriarcham, sive Archiepiscopum, sive Episcopum vobis ordinari possuletis, à nemine nunc velle congruentius, quam à Pontifice Sedis beati Petri, à quo & Episcopatus, & Apostolatus sumpsit initium, hunc ordinari, valetis. Præter rationem generalem, specialem aliam considerabat Nicolaus, quòd scilicet Bulgari ad fidem Catholicam fuissent conversi ope Romani Pontificis, quæ ratio etiam locum habet in Gallia, in qua ex Innocentio I. à beato Petro, aut ab ejus Successoribus, sive illorum auctoritate omnes illic fundatæ sunt Ecclesiæ.*

Sanè licet, ut diximus, Episcopi Concilij Chalcedonenſis, favente Imperatore Marciano, Ecclesiam Constantinopolitanam Patriarchali dignitate insignire, refragantibus Apostolicæ Sedis Legatis, tenuissent, Canon ille diu effectu caruit, renitentibus Summis Pontificibus, nec plenè obtinuit, donec accessit eorum assensus.

Concludamus igitur cum S. Leone epist. 39. quæ est ad Episcopos per Provinciam Viennemensem constitutos in causa Hilarij Arelatensis

Iatensis Episcopi, aliquam juris Patriarchici partem ambientis, neminem debere jus in debitum in alios Episcopos usurpare, neque posse Episcopos propria dignitatis jura in alium transferre, & ad sanctam Sedem pertinere, hujusmodi usurpationem calligare. Alienum jus, inquit S. Leo, alter sibi non audeat vindicare. Suis limitibus, suis terminis, sit unusquisque contentus, & privilegium sibi debitum in alium transferre se posse, noverit, non licere. Quod si quis negligens Apostolicas sanctiones, plus gratia tribuens personali sui honoris deservit esse voluerit, privilegium suum in alium transferre posse se credens, non is, cui cesserit, sed is, qui inira Provinciam antiquitate Episcopali ceteros prevenit Sacerdotes, ordinandi sibi vindicet potestatem.



DISQUISITIO X.

§. I.

De Ecclesiasticarum Dignitatum gradibus ac praeeminentiis.

De Hierarchico Ecclesiae statu.

Svb isthac Disquisitione fiet discussio argumentorum ac Exceptionum, quae Ludovicus Ellies du Pin sacrae facultatis Theologicae Parisiensis Doctor in sua circa antiquam Ecclesiae disciplinam Dissertatione 1. digessit.

Præfatio.

1. IN refutandis praeinsinuatibus seu argumentis, seu Exceptionibus Elliesianis reflexionem faciemus ad duo, per eundem auctorem in suo præloquio exposita principia: quorum unum in eo se tenet. Nempe omnem hominum societatem, ut sit firma & stabilis, debere aliquam regiminis formam temperari: si namque homines sine ulla legibus inter se coirent, nullaque certa ratione regerentur, sed cuilibet, prout libuitum est, suis moribus vivere liceret, necessum fore, societatem primam immunitis turbis, bellisque confundi, ac tandem penitus dissolvi. Cum ergo Ecclesia sit societas hominum fidem Christi professantium, necessum fuisse, ut aliqua forma regiminis in ea constitueretur, quam, licet pro varia temporum ratione non parum immutata fuerit, suas semper leges habuisse, primam innotas per consuetudines, deum communi consensu receptas, ac demum Synodorum decretis confirmatas. Quemadmodum quarto præsertim Ecclesiae saeculo factum fuerit.

2. Alteram in hoc puncto Elliesij principium sic se habet. Apostolorum scilicet Ecclesiae nascentis initio, in illud solummodum incubuisse, ut fidem Christi per totum Orbem spargerent, singulisque Ecclesijs Episcopos, qui eas regerent, praesecisse, nondum sollicitos de exteriori politia. At post disseminatam per totum Orbem Christi fidem, cogitari ceptum esse de Ecclesiarum inter se invicem communi ac societate, nec non de exteriori regiminis forma. Sic Ioannem jam senescentem videri, aliquam Ecclesiarum alicuius formam constituisse. Cuius exemplum secutos veros Apostolicos, mirum in modum exornasse hanc spariam: rem deinde ad se in consuetudinem, quae pro lege tum erat: ac demum, cum Religio Christiana sub Con-

stantino externum accepit splendorem, Synodorum decretis confirmatas esse veteres consuetudines, nonnullis quoque novis legibus sancitis: quibus deinceps pro varia temporum ratione additum, vel detractum fuisse, donec longam saeculorum successione ita sunt immutatae, ut vix agnosci queant. Hoc tamen pro certo esse habendum, optimam ac convenientissimam fuisse disciplinam, quae quarto Ecclesiae saeculo sancta est, semperque fuisse mentem Ecclesiae, ut illa, quantum fieri posset, servaretur. Huius igitur duplicis principij accuratorem discussionem facimus, ad huc de statu Hierarchico Ecclesiae, seu forma ac distributione Ecclesiarum ex varijs Episcoporum gradibus, ac Patriarcharum, Metropolitanarumque prerogativis subsistente. Post cuius rei discussionem expendemus: An Metropolitana, aut Patriarchica dignitas fuerit instituta à Christo, vel Apostolis?

PRIMO. Hierarchia Ecclesiastica habetur dilucidè exorta ab Apostolo Roman. 12. v. 4. ita differente. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum Corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra in Christo Iesu Domino nostro. Si proinde de corporis humani ex membris adeo diversis coalescentis formam, sit quaestio, multiplicem huius unitatis rationem reperies, partim in mutua membrorum activae ac passivae communicationis coordinatione, partim in organizationis corpus heterogeneum constituentis integrali coadunatione, partim in formae vitae substantiali universis membris impertientis unitate. Illam igitur similitudinem ab Apostolo præcitato hierarchicum Ecclesiae corpus, cum organico corpore humano comparante inductam, hinc verbis ulterius explicat Paulus, asseverando ibidem, quod fideles sint quidem in Christo unum Corpus, attamen singuli sint alter alterius membra, habentes donationes secundum gratiam differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrinam, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui praest in sollicitudine.

Secundò. Quod si igitur de Ecclesiae membrorum mutua inter se, tum activam, tum passivam communicatione sit sermo, affirmandum est, passivam, seu influxus Ecclesiae susceptivam, in Sacramentis recipiendis capacitatem, subsistere ex caractere Baptismali: activam verò communicationem in conferendis Sacramentis sitam esse in potestate Sacramenti Ordinis, cui annexa est communicatio gubernativa, quae prodit ex jurisdictione Ecclesiastica, diversis gradibus distincta, nempe Apostolatus, seu Summi Pontificatus, Patriarchatus, sive Exarchatus, Metropolitanatus, seu Archiepiscopatus, & simplicis Episcopatus. De cuiusmodi adeo gradibus proximè differemus.

Z. z. z.

§. II.

ritas
dra
tica